



...estis Ordini nostro, vel illi in certis & praestatis inge-
nia benevolentis complacuit, quantum fas est
universis commendimus, ut huic celeberrima, non ma-
xime illi praeferimus, sed ingenuis tamen & crederent
bus studiis non mediocriter haec tunc profuerit, te-
tes indulgere Vos & Arbitros vestris. Vigent adhuc
apud nos iam indoluit a primis Academiae in illis
deducti mores honestissimi. Atque ut in conser-
vandis his ex parte aliquid diligentiam & elabora-
tionem nostram cupimus; sic in illustrandis pluri-
mum poterit praesentis Vestra, subindeque illius
labit plures, ut aliorum exemplum in se quoque
velint experiri. Nobis autem voluntas certe nun-
quam detinetur est gratiam gratis & officii curam
satis referendi. P. P. propitius Dominice V. poss
Tamin d. 17. Julii An. 1668.

JOHANNES WITTIKAM
A Vobis Rector A
Magister, & ceterum omnium Acad



*De IV nationibus et magybris
in Acad. Lipsiensi*

38

DECANUS
FACULTATIS STUDII
BONARUM ARTIUM
IN
ACADEMIA LIPSIENSI.

1647

37

4,30



DECANUS
FACULTATIS STUDII
BONARUM ARTIUM
IN
ACADEMIA LISIENSIS





NON imperitus ille rerum, sed vel
divinus omnino Vates, aut solers saltem Philosophus
fuit, quisquis ille fuit, qui tamdiu firmo talo substi-
turam prædixit hanc Academiam florentissimam,
quamdiu suus ibi maneret IV. istis per omnia æqua-
li jure fruentibus Nationibus respectus; & quamdiu
Gradus honorum scholasticorum exindeq; pendentium fructuum veri
gradus persisterent. Uti scilicet pedetentim ab imo ad summum ido-
neus ascensor provehatur, nec præteritis scalarum cochliidiis in verti-
cem Pindi grallatorio modo irrumpat, vel Icario more involet, nec
si in culmine constiterit, ad radices & præcipitia relabatur. Istæ namq;
duæ Scholasticæ hujus congregationis sunt tibiæ, quarum alterutra si
in quoquam deficiat, totum corpus statim sentitur claudicare, si verò
utraq; destina ædificii hujus, quod Dii prohibeant, ab aliquo Simsone
infringatur, quantumcunq; hoc erit structuræ quondam validissimæ
reliquum, collabi necessum erit. Immota quippe illa & tantum non
omnium ore trita, certè notissima, uti verissima est regula; eodem pa-
cto rem quamlibet dissolvi, quo fuerit colligata. Exempla non opus
est, ut longè accersamus, vel ipsa Pragensis Studii Universitas, nostræ
hujus mater, an noverca? eo ipso ruinam sibi met suo veluti jumento
attraxit, quòd

Qui pote plus urfit, pisces ut sæpè minutos

Magnu' comest, ut aves enecat accipiter,

hoc est, quod potentiâ vernaculâ & numero prævalens Bohemorum
natio suam plus in suffragatione, quam externorum omnium valere
præsumpsit sententiam, contra ac Sapientissimus Imperator Caro-
lus IV. instituisset, qui inter indigetes suos Bohemos & exteras Saxo-
num, Bavatorum & Polonorum Nationes rem illam ita determinave-
rat, ut in deliberationibus, honorumq; diribitionibus & commodorū
perceptionibus, tantum pondus haberet unius gentis suffragatio,
quantum alterius, & eo quidem staretur, quod plures censuissent, plu-
res tamen secundum stirpes, ut sic dicam, non secundum capita. Prout
in communi hæreditate dividundâ illud semper obtinuit, ut quot
fratres essent germani, tot quidem fierent portiones, eaq; tantæ ac ta-
les, ut optio vel fors detur, quæ cui debeat obvenire, nullâ planè ha-
bitâ

bitâ ullius conditionis consideratione, utrum alter altero plures habeat liberos, aut alat servos, vel vicissim peculium aliquod castrense, castrensive haud absimile jam tum suo sibi met sudore ac sanguine præparârit. Quæ ipsa cum Pragenses minus perpendissent, suo malo docuerunt Lipsienses cautiùs mercari & fundamentalibus legibus & consuetudinibus mordicus inhærere. Certè non minùs prudens, quàm bellicosus ille Saxonix Misniæq; suæ Tutanus FRIDERICUS, cum Serenissimo fratre GVILIELMO hoc ipsum, si qui alii, quàm optimè perspexerunt: unde cum ad Dei omnipotentis Patris honorem, matris Ecclesiæ utilitatem & tam circumvicinarum terrarum, quàm quæ procul dissitæ essent, gentium ob profectum, hujus Almæ Philyreæ primos in hæc urbe ponerent jacerentq; lapides, hos duos angulares esse voluerunt, super quæ bases illius (ut cū S. Codice loquar) solidarentur, qui verò ad eosdem offenderint, caderent & contererentur. Ipsos, quæso, si vultis, pientissimos & consultissimos Saxonix Comites Palatinos, Misniæq; Marchiones audiamus, atq; geminum illud & genuinum, vel geniale potiùs fundamentum istud cognoscamus! *Præhabitis* (ita incipiunt) *super hoc maturâ deliberatione & consiliis Episcoporum, Doctorum, Magistrorum & Prælatorum, accedente nihilominus consensu & voluntate honorabilium Magistrorum in prædictâ nostrâ Universitate pronunc constitutorum & degentium, volumus, statuimus & ordinamus, quòd perpetue in ipsâ Universitate sint quatuor Nationes, videlicet Misnenses, Saxones, Bavari & Poloni. Item ordinavimus & ordinamus, quòd prædictæ quatuor nationes in Consiliis Universitatis & Examinibus Facultatis Artium, in emolumentis cæterisq; dispositionibus in dictâ Universitate habendis & faciendus per omnia sint æquales.* Huic firmatæ jam fundationi (ubi cum almâ suâ genitrice natu statim grandior concurrat filia, Universitatem dico & Artium Communitatem) imposuerunt & inædificârunt liberalissimi Principes duas illas ab omni rerum & personarû onere liberas & immunes aulas suas, quas majus minusq; Principum nominari Collegia voluerunt. Utq; porrò non Magistri saltèm docentes, sed & Studentes eò lubentiùs ad dictum studium confluant, studeant & laborent, deputaverunt iidem pro XX. Philosophiæ Magistris, & quinque quidem de quâlibet natione, stipendia, seu salarii perpetuum in utroq; Collegio. Sed quando postea & reliquis duabus supremis, uti nuncupantur, Facultatibus, seu Juris divini &

huma-

humani peritis VI. viris de similibus, sed longè opimioribus rediti-
bus cautum prospectumq; esset, è totidem scilicet sacris Misnensis, Ci-
zenæ, Numburgensis & Merseburgensis Ecclesiarum beneficiis, soli
restabant adhuc, qui rei medicæ scientiam in Academiâ profiterentur
Doctores, nullo quidem eis tum apparato obsonio. Duobus itaq; in
arte suâ valentibus Medicis geminâ consultum fuit demortuorum
Collegiaturâ; ut in Majori, si quidem cum cæteris ejus præsidibus
Magistris (quales & ipsi esse cogebantur) stare & cohabitare simulq;
onera ferre eligerent, omnium participes redderentur proventuum,
sin verò, pariter ut in minori Collegio, saltèm, quæ sic vocitantur, Cor-
porum, h. e. Præposituræ magnæ distributionum essent capaces. Et
sanè major semper visa est Medicinæ cum Philosophiâ cognatio, qua-
rum etiam Communitatum Statuta membra sua ad omnia mutua stu-
dia & officia obstrinxerunt, ut nemo nisi Magister artium existat, ad
publicè docendam medicinam admittatur: & rursus Medicinæ quoq;
Doctores in Consilio Philosophico tamdiu tolerentur, donec in alte-
rum Medicum cooptentur & inter ejus Ordinis Profesores legantur.
Quin & hoc Collegiati Humanitatis Doctores non Archiatri modò,
sed & aliis, tam Theologis, quàm Jctis dederunt, ut si quidem semel eos,
ut Magistros, in tenuitatis suæ Philosophicæ suscepissent consortium,
eos postmodum, ad lautiores licèt Fortunam & Præbendas atq; Præ-
laturas (uti vulgò vocantur) Canonicatum subvecti essent, à se mi-
nimè tamen repellerent. Quibus vicissim uterq; supremorum studio-
rum Senatus eam gratiam retulerunt, ut non modò lubentiùs Opti-
Artium Magistros ulterius proveherent, sed & ipsi quoq; Præsides, nisi
quondam pariter à nobis renunciati, aut si alibi promoti, nostratibus
quoq; diurnâ disputatione & aliis requisitis sese priùs approbâssent,
æqvissimis semper animis ab ambitu loci hujus humilioris, & mini-
marum captatione micarum ultrò abstinerent. Et memini ego meo
locò cum summâ quidem laude Electoralis cujusdam Consilarii e-
gregii & Jureconsultorum hujus Universitatis Principis, qui quoties
de natione suâ juniores quoq; Magistri conveniebamus, non modò
nos collaudabat, quòd gradatim ad altiora mediis honestis præscri-
ptisq; semitis grassaremur, neq; multis vana habita studia sterilisq;
visæ cathedræ mercedulas contemneremus; verùm etiam simul indo-
lebat, quòd ipse cum fuisset adhuc junior, non moderatior quoq; paulò
fuis-

fuisset, nec statim holosericeis palliis purpureisque inhiasset, sed potius cum aliis æquè bonis doctisque, nec minùs patriciis, se optimo tùm Gymnastæ seu Aliptæ, Domino Neldelio, Philosophorum hujus Universitatis (ut Agellius eos hoc titulo salutat) Amplissimo illustrissimoque, ceromate perfundendum quondam submisisset, ut & in hanc arenam descendere & athli quoque compos fieri potuisset, quo ultra XXX. annos, quibus ter millibus floren. auctior interea futurus erat, ægrè caruisset, nisi Academia non minùs justis, quàm vetustis legibus & moribus spontè acquievisset.

Quæ omnia eum in finè hoc loco præmittere lubuit, ut quando Nationes permixtæ quidem, sed non confusæ, sint Academiae quadrata veluti basis, nationalium verò honorum & fructuum limen seu janua Magisterium, hujus autem vestibulum Baccalaureatus habeatur; non tam igitur è variis gentibus diversos, quàm superioribus etiam, studiis consecrandos, Philosophicis nihilominus beneficiis & gloriâ nunquam periturâ inescatos attraheremus, attractosque ad bonæ spei promontorium navigare pateremur, & in hoc studiorum tempestuoso freto conservaremus.

*Nam licet ipsa sibi virtus pulcherrima merces,
Attamen & gratis pœnitet esse Sophum.*

Prætereà quoque cum vel maximè hæc ipsa perversa tempora & mores cogant studia esse mercenaria, ut eapropter nemo ferè non passim clamitet; *Philosophandum esse, sed paucis!* nec lentè ad ea festinandum, quæ faciunt ad machinas molinarias conficiendas. Inde frigent jam fermè acroateria Peripatetica, neque tamen fervent adeò Prophetica, vel Hippocratica aut Justinianæa, sed omnes propemodum *ποσει ηγι χερχιν αβιπλοισ*, in adyta prorumpunt mystica, imparati ab omnibus, maternâ solâ exceptâ, lingvis, ab omnibus quoque scientiarum veris Philosophicisque principiis. Quò ipsò fit, ut res omnium maximè sacras non tractent, sed prophanent, conspurcent, violent, Concionatores priùs facti, quàm Cantores; Pragmatici antè, quàm Oratores & Causidici fuerint; & Empirici qui nullam neque methodû, nec rationè Physicam unquam cognovissent. Quos tanto magis abrepturus esset in alia omnia avarus seculi egestosi genius, nisi liberalissimorum Principum & nutriciorum Clementissimorum magnificentiam parta qualiacunq; Philosophis relinquerentur aureæ crucis solatia. Tametsi namque Philo-
loso.

Philosophi Fortunæ quoque vim se ferre profiteantur, & opum quoque immodicarum sint: strenui contemptores, & ipsi tamen homines sunt humanaque non minus expetunt subsidia, quibus CONSTANTINI Imperatoris Decreto, vel ideò quoque mercedes & salaria sua reddenda, quò facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituant. Quo nomine motus quoque fuit Alexander V. Pont. Max. eruditissimus, in confirmatione nostræ Universitatis Pisanæ, cum hæc urbs, quod sub aère temperato sita, & victualibus pro frequenti multitudine hominum, & omnibus, veluti ager, cui benedixerit Dominus, affluens, cuiusque opidani atque incolæ civiles & in moribus benè dispositi perhiberentur, iussa esset fieri Mater ibidem studere volentium, ex cujus fecundis uberibus lac mellifluum sugant abundanter, virosque producat consilii maturitate perspicuos, virtutum redimitos ornatibus & apprimè diversarum Facultatum dignitatibus eruditos, quod, inquam, ibidem adjecerit, imò præviderit, hoc ipsum oppidum multò magis autore Domino profecturum floriturumque, si tantis Academiæ privilegiis & singularibus præsidijis decoretur, & quod ad Hesperium scripserat quondam SYMMACHUS, *Senatu autore salarii emolumenta Professores consequantur. Quibus si nihil talis compendii majorum voluntas antè tribuisset, eruditio sua fructum ferre debuisset. Cum bonæ artes honore nutriantur atque hoc specimen sit florentis Reipublicæ, ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta pendantur. Interest namque fama & gloriæ suæ ut confirmandi magis, quam negandi commodi causâ, de Philosophorum præbendo salario dubitasse aliquando videatur.* Quam suam & suæ, urbis laudem egregiam uti vicini nostri imposterum etiam conservent, expectamus, utque vicissatim aliquam commoditatem, præsertim victus ratione, Academicis non adeò inuideant, à quibus illi animarum & corporum, imò liberorum quoque curatoribus & informatoribus, bonorum quoque & honorum defensoribus, nullo suo, vel sanè exiguo sumptu, rursus beentur, atque posterique quoque sui ad similes honores, utilitates, & summas etiam dignitates valeant educari suoque tempore exaltari.

Atque hæc & alia plura quoniam in hoc tempore animi fortunæque bonis ornatisimorum juvenum, quorum maxima pars de Polonicâ natione est, aliunde quoque invitârunt, ut fiduciâ suorum studiorum gerentes, iudicio Ordinis nostri sese perferutandos subjecerint, & ejus approbatione primâ in
Philo-

Philosophiâ Lauream crastinâ luce horâ VIII. antemeridianâ sine
reportaturi. Quorum nomina & origo sequens est:

GERHARDUS *Stoekhard*/DRESDENSIS.

SAMUEL *Wanitz*/FRANCKENTH. LU-
SATUS.

JOANNES HENRICUS *Weber*/
ALTENSATZENSIS VARISCUS.

PETRUS MUCCIUS.

PHILIPPUS JACOBUS
SACHSIUS.

URATISLA-
VIENSES.

Cui promotionis panegyri ut Magnus & pl. Reverendus Acade-
miæ Rector, omnium Facultatum Decani, Seniores & Assesores, &
singuli tandem Doctores, Licentiati atq; Magistri, Domini, Patroni,
Fautores & amici nostri devenerandi atq; colendi, unâ cum nobili &
eruditâ studiosissimæ juventutis concione frequentes, partim pro ma-
jore luce fœnerandâ, partim pro honestâ æmulatione concitandâ, in-
teresse velint, paratissimâ recprocorum studiorum pollicitatione,
reverenter, officiosè & peramanter rogamus. PP. Lipsiæ, V. Eidus
Quintileis, Ærâ Salutis ∞ Ioc XLVII.

Typis Timothei Höni.





FAC
BO

de



magybris 38

S
CUDII
IUM
SI.

1647

37

4,30

